AD SIXTVM V. PONT. MAX.

IN EIVS CORONATIONIS festum diem.

IOANNIS BAPTISTAE STELLAE

CARMEN.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Apud Sanctium. 1588.

AD SIXTVM V.
PONT. MAX.

In eius Coronationis festum diem
Pont. Anno IV.

MAius adest: terq. acta nouum redit ecce per annum
Festa dies, longumq. diu repetenda per aeuum:
Qua delata sacri tibi sunt insignia regni.
Iamque hilaris de more tuos pulcherrima Roma
In plausus vacat: & tacito quae pectore sentit,
Maxima solemni testatur gaudia pompa.
Perq. vias crepitant ignes: perq. alta domorum
Culmina sub primam sublustri lumine noctem
Dispositi effulgent lychni: perq. ardua Diuum
Templa repercussis resonant tinnitibus aera.
Ipsaq. flammiuomis centum tonat vndiq. Moles
Aelia tormentis: stellasq. imitata cadentes
Multa volat; rutilisq. in nubibus ardet arundo
Missilis, & caelum crepitanti luce serenat.

Nec tamen interea lætis non assonat omnis
Ominibus populus: sanctas pars magna per aras
Orat longæui placidos tibi Nestoris annos,
Nestoreum qui pectus habes, qui Nestora vincis
Eloquio: mores hominum seu forte nocentum
Vt prius ardentis compescis fulmine linguæ:
Purpureosue Patres inter de rebus agendis
Disseris: aut orbi reddis responsa petenti.
Te vitæ auctorem, seruatoremq. salutis
Concelebrant alij: & superis quod uescimur auris,
Felicem nec dira fames inuaserit Vrbem
Pulsa procul, gentes latè quæ sæuit in omnes,
Muneris esse tui concordi voce fatentur:
Et septemgemini responsant vndiq. colles.
Omnia lætitia exiliunt, plausuq. secundo
Cuncta fremunt: lætusq. noui sub lumina solis
Ad tua purpureus vestigia confluit ordo,
Submissoq. genu, redeat lux festa precatur
Sæpe tibi, multiq. fluant feliciter anni,
Et pacata diu te Principe terra fruatur.
Ast ego, quem tenuis prohibet fortuna precari
Id coram, propiusq. sacras accedere plantas:
Quod possum, Hæc vtinam celestia numina firment
Vota rogo, longumq. diu seruêris in æuum,

Quæq.

Quæq. celer meruisti, abeas ad sydera serus.
Dumq. alto effulctus solio tibi fausta precantis
Inueheris resoni per publica murmura vulgi
Mystica sacra Deo festam facturus ad aram,
Mente procul tacita veneror, te numinis instar
Toto animo, toto prostratus pectore adoro
O decus, ò sacli felix tutela ruentis.
Tu tamen ò ne temne bonus, quas supplice voces
Ore damus, curasq. inter properata forenses
Carmina non duro facilis precor excipe vultu.
Illa quidem leue munus: at inter maxima paruis
Interdum locus est, magnamq. in munere sume
Materiem, si magna placent: vel pignora saltem
Sint tibi deuotæ iampridem debita mentis
Tempus erit, quum te penitus toto orbe recepto,
Sacrilegisq. procul disiectis vndiq. monstris,
Quæ Christi euertunt sata læta, Patrumq. labores,
Et liquidas puri corrumpunt fluminis vndas:
Regnatorem hominum, celiq., erebiq. potentem
Impauidus grauiore sono super æthera ferre
Ordiar, & cultis victurum intexere cartis,
Quas nec cana dies, nec longa obliuia carpant.
Non ego multarum sileam monumenta viarum,
Felicemq. vndam, & magni iuga celsa Quirini

Fonti-

Fontibus aucta nouis: non quæ tueantur vt Vrbem,
Addita sunt geminis Diuorum signa columnis:
Ingentesq. sacri cumulos, quos congeris, auri
Vt tibi sint in pace decus, tutamen in armis:
Aduectosq. locum in celebrem aërios obeliscos,
Hospitioq. inopes proprio, victuq. leuatos,
Augustosq. hortos, Lateranaq. templa, nouumq.
Adiectum exquilijs decus immortale sacellum:
Florentesq. Vrbes studijs. Tu maximus ille es,
Aurea quo surgit, quo ferrea desinit ætas
Principe. Tu Vaticana iacularis ab arce
Fulmina in infandas acies, Gallumq. rebellem,
Dum damnata suo molitur prælia Regi
Impius, & veterum ritus temerare parentum:
Insequeris iustis, caput execrabile, diris,
Concilioq. hominum absterres, cœtuq. piorum
Exutum regno, deuotumq. ignibus orci.
Iurgia Tu, rixasq. fugas: Tu fœda latronum
Agmina, quæ cunctas bacchata impune per oras
Cædibus assuerant miserorum, & viuere rapto,
Perdis, & instantes nostris ceruicibus enses
Disijcis, exturbasq. procul: Tibi libera debent
Oppida, nec crebris vastati incursibus agri.
Te rerum custode Quies ex æthere lapsa

Pacatas

Pacatas Urbes, tranquillaq. rura reuisit,
Blandaq. felices reuocauit ad ocia gentes.
Iam nec prædonum insidias, nec auara viator
Arma timet: per agros incustodita vagantur
Tuta, nec infestas metuunt armenta rapinas.
Securus placidas in collibus exigit horas
Quisq. suis: nec vt ante boues suspirat abactos
Agricola, & rapidis incensa mapalia flammis.
Vindice te Furor iniectis frænatus habenis,
Quæq. vagata diu est genitrix fœcunda malorum,
Audax multiplici compressa Licentia nodo.
Nec terras placasse satis. Iam littora late
Reddere tuta paras, & quod latus vrget vtrumq.
Italiæ, purgare vagis prædonibus æquor.
Instructamq. armis, instructam milite classem
Componis. Fluuio insolitas innare carinas
Miratur, gaudetq. simul Tiberinus, & Urbi,
Vt prius, extremo promittit ab orbe triumphos.
Iam nunc & Tanais, iam nunc & nomine tanto
Territus ad primos reuocat sua flumina fontes,
Si fontes modo Nilus habet: Tibi nectit Idume
Palmarum genitrix victrici è fronde coronas:
Anglia te, quamuis toti se subtrahat orbi
Oceani refluis circum munita procellis,

Vlto-

Vltorem horreſcit: iam nunc tua nomina diſcunt,
Et plauſus tibi longa parant per colla canoros,
Arguto Tameſis quos margine paſcit, olores.
Tũc quoque ſi magnus mihi ſe cõmittat Homerus
Ipſe etiam Smyrna vel iudice cedat Homerus:
Et tu forte tuo frontem præcingere vati,
Ni me cæcus amor cupidum ſpe ludit inani,
Pro lauru, roſeis non dedignabere ſertis.
Tu modo præcipuo mihi ſemper honore colenda
Feſta dies, mihi luce dies iucundior omni,
Aurea quæ cupido reuocaſti ſæcula mundo,
O age ſæpe redi, meliorq. relabere ſemper.

FINIS.